

in ius huiusmodi dicitur opus

¶ i . . . . . f r i

¶ artus est qui pignora

¶ . . . . . f r i

¶ qui nos ceptos illumina

¶ . . . . . f r i

¶ uit et hie sanctor ecclie

¶ . . . . . f r i

¶ hic dicit patre celis

¶ in ius huiusmodi

¶ in ius dignitatis ad

¶ lata et huiusmodi sus

¶ ceptis huiusmodi sus

¶ ceptis huiusmodi sus

¶ ceptis huiusmodi sus

¶ ceptis huiusmodi sus

¶ ceptis huiusmodi sus

¶ ceptis huiusmodi sus

¶ ceptis huiusmodi sus

¶ ceptis huiusmodi sus

¶ ceptis huiusmodi sus

¶ ceptis huiusmodi sus

I  
P  
u  
r  
a  
c  
t  
u  
m  
L  
i  
b  
r  
a  
r  
i  
i  
n  
M  
u  
n  
i  
c  
i  
p  
a  
l  
i  
b  
r  
a  
r  
i  
u  
m  
M  
u  
n  
i  
c  
i  
p  
a  
l  
i  
b  
r  
a  
r  
i  
u  
m  
M  
u  
n  
i  
c  
i  
p  
a  
l  
i  
b  
r  
a  
r  
i  
u  
m


ced

Sammelband 204

+







*[Faint, illegible text visible along the left edge of the page, likely bleed-through from the reverse side or text from an adjacent page.]*



3  
SENTENTIA  
MINISTRORVM  
VERBI IN COMITATV  
MANSFELDIENSI,

DE FORMVLA DE-  
CLARATIONIS VICTO-  
RINI STRIGELII,

IN QVESTIONE DE LIBERO  
HOMINIS ARBITRIO.

Anno 1562. Die 20.  
Mensis Augusti.

7/4143!

I  
P  
u  
r  
a  
l  
a  
t  
i  
o  
n  
e  
r  
S  
t  
r  
a  
s  
s  
e  
n  
S  
t  
r  
a  
s  
s  
e  
n  
S  
t  
r  
a  
s  
s  
e  
n  
S  
t  
r  
a  
s  
s  
e  
n

DEI  
S  
T  
R  
A  
S  
S  
E  
N  
S  
T  
R  
A  
S  
S  
E  
N  
S  
T  
R  
A  
S  
S  
E  
N

DEI  
S  
T  
R  
A  
S  
S  
E  
N  
S  
T  
R  
A  
S  
S  
E  
N  
S  
T  
R  
A  
S  
S  
E  
N

DEI  
S  
T  
R  
A  
S  
S  
E  
N  
S  
T  
R  
A  
S  
S  
E  
N  
S  
T  
R  
A  
S  
S  
E  
N

DEI  
S  
T  
R  
A  
S  
S  
E  
N  
S  
T  
R  
A  
S  
S  
E  
N  
S  
T  
R  
A  
S  
S  
E  
N



DE FORMVLA DECLARA-  
TIONIS VICTORINI  
STRIGELII

Quaestionem de libero hominis arbitrio, utrum ille sese in couersione sui pure, ut vocant, passiuè habeat, an vero ei aliquid virium post lapsum, sit relictum, quibus quantumuis languide, aut tenuiter salutem, cooperetur gratia ipsum conuertenti, à Reuerendissimo viro Dei D. Luthero, sanctae memoriae, fideliter, ex ipsis verbi diuini fontibus satis declarata esse, nemo est qui ambigat: Nisi quod aliqui in hac peruersitate prolapsi sunt: vt non uereantur tanti viri sanctissimum laborè couellere, ipsumque philonikias accusare: quod in hac explicatione magis vincendi studio, in sententiam illam, quam profert descenderit, quam quod ueritatè astruxerit. Contra horum opiniones non minus impias, quam prorsus in ueritatem Dei blasphemias, non esse disputandum, etiam ex philosophi gentilis regula patet, Qui contra negantes principia non uult quidquam uel disputari, uel dici, sed censet tales tanquam homines uesanos & mente captos reiciendos esse.

Vera igitur & simplex, de hac quaestione sententia, & breuis quasi propositio totius causae quam sacra scriptura, & cum hac, ac ex hac S. Lutherus ponit, haec est: Hominem in conuersione sui sese pure passiuè habere, & nihil prorsus gratiae diuinae ex uiribus suis cooperari.

Ne auem videamur perplexè loqui, distinguamus actiones hominis Alias dicimus externas ciuiles. Alias internas spirituales.

A 2

De

De externis ciuilibus concedimus, eas aliquo modo homini subiectas esse. Ad has uero referimus, aptitudinē ad obeunda efficia politica & domestica, ut possit homo mores instituere, & regere ad honestatem, continere manus, ne cui vim afferant, cohibere linguam, ne iniuste maledicat. Imo etiam ut affectuum impetus aliqua ex parte supprimat, ne illi sua se statim uolentia effundant, Sicut de Scipione, Alexandro magno, Camillo & alijs quibusdam ethnicis legimus, quod illi libidinum furores, & irarum aestus ita temperauerint, ne quid turpe, quod uirtutum opiniones de ipsis conceptas deformaret, committerent.

Sunt & talium actionum exempla, cognitio honesti & turpis, ueritatis & mendacij, atq; adeo, ut ex obscura aliqua, de Deo, in mente hominis lucentis cognitione, intelligat homo adultus, esse aliquem Deum, qui turpia auerset, & nolit, & honesta probet ac amet: ex quo deinceps religionis aliqua cura existit: ut homines Deum illum, quantumuis ignotum, uereant, templa ingrediantur, uerbum audiāt, & meditentur carnaliter, externam obedientiam prestent, ac sanctitatis splendorem non contemnendum praeseferant. Hanc Christus in suis hypocritis iustitiam Pharisaeicam nominat, Paulus Ro: 2. uocat illam iustitiam carnis.

Vt igitur de his actionibus, in questione de libero hominis arbitrio, uel uiribus humanis non disputamus, sed illas homini relinquimus: ita fatemur plurimum hac in parte impedimentorum, ab imbecillitate naturae, & furore Diaboli, imbecillem naturam magis impellentis occurrere, ut ne illae quidem prorsus liberae, & in nostra potestate esse videantur, sicut  
quere



querelæ tristissimæ, & experientia quotidiana testan-  
tur.

Sed ad actiones internas spirituales referimus uer-  
bum Dei cum utilitate audire, fide amplecti, Deum  
recte agnoscere, ad ipsum conuerti, regenerari, morti-  
ficari & uiuificari, Deum inuocare, celebrare, confite-  
ri, ipsius uoluntati sanctæ non repugnare, bonum uel-  
le, & perficere: crucem patienter ferre, carnem mor-  
tificare, in mediâ morte ad Mediatorem Christum  
confugere, denique saluari, hæreditatem vitæ æternæ  
accipere, & similia.

Hæ non sunt nostræ cænis actiones, nec ab illa  
proficiscuntur: Sed in his efficiendis dicimus hominẽ  
plane mortuum esse. Itaque, ut mens recte intelligat uer-  
bum, & ex eo iudicet recte de Deo, ut uoluntas uelit  
mandatis diuinis obsequi, utque fiat tota hominis con-  
uersio ad Deum salutaris, atque ut in tali conuersione  
ad finem usque subsistat, id omne donum Dei est.  
Hic nihil liberi arbitrii hominis est. Hoc est, tota ho-  
minis anima, mens & uoluntas, ex sese nihil ad hoc ad-  
ferunt, uel operantur, omnia hic sese ita passiuè ha-  
bent, ut sint solius gratiæ diuinæ, & spiritus sancti  
operationes.

Ac ut infans nihil confert operæ ad formatio-  
nẽ suam in utero matris, nec lutum iuuat figulum ut fiat  
uas idoneum, ad usus necessarios, ita homo in conuer-  
sione, & regeneratione sui, non conuertitur & regene-  
ratur suo aliquo, quantumuis minutissimo auxilio, sed  
est subiectum mere patiens, in quo Deus spiritu suo,  
per uerbum, & Sacramenta operatur.

Fatemur quidam existere in homine, dum conuer-  
titur motus quosdam; Alioquin non posset conuer-

ti: Sed illos motus non nostræ uoluntatis esse, sed à spi-  
ritu sancto excitari asserimus. Itaq; etiam inter trun-  
cum & hominem hac in parte ingens discrimen consti-  
tuimus Truncus, etsi patitur, quum ab artifice forma-  
tur, tamen diuersa est passio, ab ea quæ fit in homine  
quando conuertitur. Quia truncus, nec ad conuersio-  
nem est ordinatus, nec habet organa, quæ conuersio-  
nem admittant, & motus nouos accipiant Quod ta-  
men ad cooperationē & modum agendi attinet, nihil  
magis facit operatur aut agit homo in conuersione sui  
q̄ truncus, licet alioqui sit discrimen.

Quid uero deinceps uoluntas facta conuersione  
& uoluntate, aut uelle nouo constituto operetur, &  
quomodo tunc homo Synergus Dei dicatur, de hoc  
non disputamus: tantum hic ad initia conuersionis res  
picimus

Hanc sententiam, ut supra affirmauimus, sanc-  
tus uir Lutherus ponit: & in scripturis sacris firmis-  
sima habet fundamenta.

Liquido igitur, & constanter scriptura affirmat,  
totum hominem penitus esse in peccatis mortuum &  
prorsus corruptum per peccatum originale, ac ani-  
mam eius per omnia quasi turpissima quadam lepra  
adeo infectam ut nihil in ea sit sani, ita ut mens in re-  
bus diuinis prorsus cæca, uoluntas à Deo auersa &  
cor perpetuo natura sua repugnans & plenum sit  
contumacia, durius saxo & quouis adamante.

Hinc dicta illa extant

Ioh: 1. Totum genus humanum tenebræ non  
comprehendentes lucem lucentem &c. appellatur.

Eph: & coloss: 2. Et uos cum mortui essetis in de-  
lictis & peccatis uestris in quibus aliquandoambu-  
lastis

Iastis secundum sæculum mundi huius

Ioh: 3 Quidquid natum est ex carne caro est Ioh:  
6. Caro nõ prodest quidq; Hoc est omnes uires in ho-  
mine non renato sunt ita debilitatæ: ut non possint  
eam obedientiam, quam Deus flagitat præstare, Spi-  
ritus est qui uiuificat.

Psal. 51 Tibi tantum sum peccator.

Ro: 7. Ego carnalis sum, uenundatus sub pec-  
catum.

Gen: 6 & 8. Omne figmentum cordis humani  
est malum omni tempore.

Rom: 8 Sensus carnis inimicitia est aduersus  
Deum, legi n Dei non subijcitur ac ne potest quidem

I cor: 2 Animalis homo non percipit ea quæ  
sunt spiritus Dei.

2 cor: 3. Non sumus idonei ex nobis ipsis ad co-  
gitandum &c.

Esa: 48. Sciui quia durus es tu, & neruus ferre-  
us ceruix tua ærea. Et frons tua ærea.

Ezech: 36. Auferam cor lapideum de carne  
uestra.

Hæc testimonia, ut totalem hominis corruptio-  
nem ostendunt, sic uires ei omnes sese conuertendi  
adimunt, in eo quod illum mortuum in delictis, lapi-  
deum, & ferreum nominant, Quid enim mortuus ad  
sui resuscitationem, aut ferrum, ac lapis ad formatio-  
nem nouæ alicuius figuræ ex sese adiumenti adfer-  
ret? Quæ autem sequuntur, illuminationem, uerbi  
Dei uerum intellectum, ac totam hominis conuer-  
sionem soli Deo attribuunt.

Esa. 54. Ioh. 6. Erunt omnes docti à Deo;

2. Cor. 4. Deus qui dixit de tenebris lucẽ splen-  
discere, ipse illuxit cordibus nostris, ad illuminatio-  
nem scientiæ.

Ioh.

Ioh. 1. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

2. Cor. 3. Sufficientia nostra ex Deo est.

Eph. 1. Mentionem facio vestri in precibus meis, vt Deus Domini nostri Iesu Christi, & pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ, & reuelationis in cognitione ipsius, oculos illuminatos, vt sciatis quæ sit spes vocationis vestræ.

Psal. 34. Domine in lumine tuo videbimus lumen. Psal. 51 & 119. Da mihi intellectum, vt discam mandata tua. Item, Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.

Matt. 16. Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est.

Deut. 29. Nondum dedit vobis Dominus cor intelligente, & oculos videntes, & aures audientes, vsq; in præsentem diem.

Ierem. 24. Et dabo eis cor, vt sciant me, Quia ego sum Dominus.

1. Cor. 12. Nemo potest Iesum dicere Dominum nisi spiritu.

Act. 16. Et aperuit Dominus cor Lydiæ, vt attenderet, quæ dicebantur. Idem fit Actorum secundo, cum in concione Petri trium millium corda aperiuntur, vt conuertantur,

Ab hac vero certa, simplici, & firmissima doctrina recedunt hoc nostro tempore illi, qui voluntatem, in conuersione sui, tertiam causam concurrentem faciunt. Nam hi operas inter spiritum sanctum ac nostras vires ita partiuntur, vt nobis etiam aliquid auxiliij in conuersione relinquunt, ac voluntati nostræ carnali hoc tribuant, quod Scriptura ei prorsus adimit. Supra enim dictum est, cor hominis (Qua appellatione

latione mentem, & voluntatem, & totam animæ vim  
comprehendi notum est) lapideum esse, & quouis sa-  
xo durius. Quod Augustinus rectè interpretatur, dici  
de durissima voluntate, & aduersus Deum inflexi-  
bili. Talis autem voluntas, quomodo quæso possit se-  
se ad gratiam applicare, vel eam expetere, ei annuere,  
adsentiri, vel ad eam se leuissimo etiã nutu exende-  
re, Nisi per spiritum sanctum prius emolliatur: Quem  
Deus per Ezechielem ad hanc emolliationem durissi-  
mi cordis humani promittit: Cum inquit Ezech. 36  
Et spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam  
vt in præceptis meis ambuletis &c.

Ierem. 31. Dabo legem meam in visceribus eo-  
rum, & in corde eorum scribam eam. Philip. 2 Deus  
est, qui efficit in nobis velle, & perficere.

Etsi igitur Deus vsitate à ministerio verbi & Sa-  
cramentorum orditur conuersionem: tamen verbum,  
& Sacramenta tantum media sunt. Causa vero effi-  
ciens conuersionis, & quæ facit media illa ordinata in  
nobis efficacia, solus spiritus sanctus est, qui per me-  
dia illa diuinitus constituta excitat corda, & mouet  
voluntates ad assentiendum. Et sicut supra monui-  
mus, certum est, quod ille motus, qui in voluntate exi-  
stet, cum ea conuerti incipit, non est, nisi à spiritu Dei,  
ac iam noua est creatura, non vetus illa, & carnalis seu  
Adamica, voluntas.

In formula ergo declarationis Victorini duo po-  
tissimum desideramus Primo quod sententiam quam  
vult esse affirmatiuam inuoluit, & implicat vocibus  
ambiguis, nec verbis scripturæ, sed philosophicis, & à  
patribus quibusdam non rectè vsurpatis, vtitur De-  
inde negatiuam, an à Luthero in hac disputatione, & à  
quibus tandem dissentiat, ac quorum doctrinam reij-  
ciat, non expresse ponit.

B

Etsi

Et in in disputatione precedente Vinarienti vete-  
res aliquos hereticos nominat, ac ab ijs se discedere  
dicunt: tamen haud obscure sententiã Lutheri suggil-  
lat: & subiade doctrinam hanc, quæ tertiam causam  
concurrentem facit voluntatem nostram, adstruit.

Qui vero huic formulæ, & declarationi subscrip-  
serunt mediatores, ac Theologiæ Doctores, & ipsi  
nunquam scriptorum Lutheri faciunt mentionem. Di-  
cunt quidem de Schmalkaldicis articulis, qui Luthe-  
ro adscribuntur, Sed reliqua eius scripta, & præcipue  
illud, quod de quæstione hac ex professo conscripsit,  
qui est liber de seruo hominis arbitrio studiose suppri-  
munt, & ideo nominare nolunt, ne Victorinus forte,  
qui antea illud reiecerat offensus à fucata hac recon-  
ciliatione resiliat.

Affirmant tamen Victorini declarationem cum  
illustrissimorum Saxonie Principum confessione con-  
sentire. Quod in hoc aperte falsum est: cum in illa con-  
fessione hæc verba sint, Fugiamus etiam, & deteste-  
mur Dogma eorum, qui argute philosophantur, men-  
tem, & voluntatem hominis, in conuersione, seu reno-  
uatione esse synergon, seu causam concurrentem, &  
cooperantem: cum & Deo debitum honorem eripiat:  
& (vt Augustinus inquit) suos defensores magis præ-  
cipitet, & temeraria confidentia labefactet, quam sta-  
biliat. Quæ verba, vt Victorinus semper oppugnauit,  
ita nunc non ostendit aperte, quod illa recipiat.

De ambiguitate autem & incomoditate decla-  
rationis, quod dicimus sic se habet.

Distinguit Victorinus inter facultatem seu dyna-  
min voluntatis, & eius aptitudinem, modum agendi,  
ac capacitatem. Alterum vult à voluntate prorsus  
ablatum, & remotum: Alterum dicit ei adhuc adhæ-  
rere.

Sum

Sumpta autem est hæc distinctio ex Philosophia. Vbi priuatio definitur, carentia formæ, cum aptitudine ad illâ: Et subiecto corrupto duo tribuuntur. Destructio, seu carentia formæ, quæ debebat adesse: & aptitudo, vt possit restitui. Sic in Arbitrio hominis post lapsum, cum sit vocabulum priuatiuum, Victorinus dicit, extinctam esse facultatem cogitandi, volendi, & perficiendi spiritualia, & manere aptitudinem, vt sit capax cœlestium donorum Spiritus sancti.

Cum autem scriptura hanc distinctionem nusquam adferat, valde periculosum est, ex Philosophia in eam vel distinctiones, vel phrasas nouas temere in Religionis negotijs admiscere, & inferre. Nam termini Philosophici, etiamsi rationi videantur valde concinni: tamen in foro alieno semper aliquid incommodi habent. Præsertim cum p̄i debeant res sacras, verbis scripturæ explicare, quibus id planius, & simplicius facere possunt, quam aliunde accersitis formis loquendi. Et Paulus iubet vti sanis formis verborum.

Vt autem supra declarauimus, & probauimus scripturam, etiamsi homini non adimat organa sua, tamen totalem ei corruptionem attribuere, & e contra conuersionem eius soli Deo & gratiæ eius assignare, ita. Nullam facit vel aptitudinis, vel modi agendi, vel capacitatis reliquæ, mentionem. Et facile est ex scriptura, hanc Victorini Philosophicam distinctionem euertere, Si quidem hoc planum facere & ostendere possumus, quod ea cum omni dynamia, modum agendi, quoque, & aptitudinem & capacitatem auferrat.

Modum agendi, ex se, vel suis viribus in spiritualibus homini animali adimit scriptura, cum eum vocat

cat mortuum. Ioh. 1. Ephe. 2. Lutherus Deut. 4. sic inquit. Habet quidem homo ex prima institutione notitiam, & potestatem regendi, & faciendi cum sese inferioribus liberam. Sed seipsum regere, & facere, quæ suo superiori placent, neque nouit, neque potest. Ibi cessat Liberum arbitrium. Sed necessario ibi cæcus, ibi impotens, ibi mortuus, & damnatus est. Ideo hic nihil debet præsumere aut eligere.

Si est spiritualiter mortuus homo (vt scriptura eum non de nihilo sic vocat) sicut certe est. Iam facile hæc ratiocinatio ex similibus constat. Vt corporaliter mortuus ineptus est per se, vel ex se, ad omnes actiones, vel prorsus nullum modum agendi habet in corporalibus. Ita spiritualiter mortuus, caret prorsus omnino modo agendi in spiritualibus. Si autem tribuitur ei adhuc modus agendi, non est spiritualiter mortuus. At hoc affirmare est blasphemum in scripturam, imo in spiritum sanctum, qui ita loquitur, vt qui nouit quale figmentum simus.

Quod attinet ad Aptitudinem, eam quoque scriptura homini animali in rebus diuinis, vel spiritualibus non concedit, sed adimit. Nam Paulus inquit, 2. Cor. 3. Non sumus (icani) idonei, apti, ad cogitandum aliquid ex nobis tanquam ex nobis (Icanotis imo) aptitudo, idoneitas nostra ex Deo est. Item, Caro non prodest quidquam, sed spiritus est, qui viuificat. Coloss. 1. Gratias agentes Deo patri qui idoneos nos fecit ad participandam sortem sanctorum in luce.

Porro capacitatem rerum spiritualium adimit homini animali vel non renato, 1. Cor. 2. Animalis homo (v dechete) non capit, aut percipit quæ sunt spiritus Dei. Ibi Lutherus in margine inquit, Der natürliche Mensch ist / wie er außser der gnaden ist / mit aller vernunft!



nunſt / funſt / ſinnen / vnd vermögen / auch auffe beſte ge-  
ſchickt. Et talis non capit ſpiritualia, ex ſuis viribus,  
nec poteſt ex ſe capere. Matth. 19. Non omnes capiunt  
verbum hoc, ſed quibus datum eſt. Hic ex ſpetie ge-  
nus intellige, vi liberi arbitrij non capi verbum, ſed  
cum illuminatio Spiritus ſancti accedit. 2. Cor. 4. Ha-  
bemus theſaurum hunc in vasis fictilibus, vt eminentia  
virtutis, vel efficaciat (græce dinamicos) ſit DEI,  
& non ex nobis. Vafa fictilia vocat nos Paulus, capacia  
theſauri: Non quidem ex nobis vel noſtris viribus  
actiue, ſed paſſiue ex eminenti virtute, & efficaciat  
Dei. Ambroſius ſuper locum citatum inquit. Fictilia  
ergo vafa dicens, infirmitatem humanæ naturæ ſigni-  
ficat, quæ NIHIL poteſt, niſi à Deo acceperit virtu-  
tem, & ad laudem ſuam, Deus per hæc ſe predicet,  
quæ infirma ſunt, vt gloria ILLI detur, non Homini,  
qui ex luto fictus eſt. Hæc clara ſunt vt eminentia vir-  
tutis, vel efficaciat ſit Dei, non ex nobis. Hic nihil hu-  
manis viribus adſcribitur, datur, vel relinquitur. Ap-  
titudō, & capacitas ex Deo ſunt, non ex nobis.

Sic manifeſtè hæc vocabula, Modus agendi,  
Aptitudo, Capacitas exploduntur, & homini animali  
adimuntur, quorſum igitur opus eſt ea inuehere in  
Eccleſiam? cur eiſmodi ſubtilibus diſtinctionibus,  
veritas potius implicanda quam explicanda eſt? Cur  
volumus patrum testimonijs contra ſcripturam niti,  
vt aliquid homini non renato aſcribere poſſimus?

Nos hac in re ſequamur dictum Polycarpi. Ni-  
hil pro vero recipiendum, quod non traditum ſit à  
Prophetis & Apoſtoliſ.

Sint ſane aliqui qui putent Victorini allatam ex  
philosophia diſtinctionem, aliquo modo docendi cau-  
ſa tolerari poſſe: Tamen hoc verum eſt, quod in ſua  
illa declaratione multiplex inſit ambiguitas. Pri-

Primo n. exponitur aptitudo his vocabulis, Mo-  
do agendi, & capacitate, quæ partim sunt ambigua,  
partim latina consuetudine significant actiue. Si n. per  
aptitudinem intelligitur modus agendi ante operatio-  
nem in Spiritu sancti, tribuitur homini aliqua Synergia.  
Capacitas vsitate significat, non tantum passiuam ha-  
bilitatem, sed etiam aliquam solertiam & naturalem  
vim, seu semen discendi. Manifestum est autem ex su-  
perioribus, sæpius iam iteratis dictis, menti & volun-  
tati hominis post lapsum nullam inesse naturalem vim  
seu semen capiendi, vel discendi ex sese sine Spiritu  
sancto, sicut dicit Paulus, Animalis homo, non per-  
cipit &c.

Secundo, & hoc ambiguum est, quod conferun-  
tur Truncus, & Homo, quod attinet ad conditionem  
sine discrimine status ante, & post lapsum, & dicitur.  
Truncus non est conditus vt sit capax. Vbi confundi-  
tur natura voluntatis ante, & post lapsum. Conditio  
trunci semper eadem manet, nunquã fit capax, cum in  
illum à prima conditione nulla cadat mutatio. Verum  
hominis alia est ratio. Is initio conditus est ad capacita-  
tem, & modum agendi, postea vero per peccatum cor-  
ruptus, & deprauatus est, vt non amplius maneat pri-  
ma conditio, nequã insit ei vlla capacitas, nisi fiat noua  
creatura. Si autem intelligitur conditio de natura volun-  
tatis post lapsum, qua differt à trunco ratione organo-  
rum, struunt insidiã, sub ambigua voce conditionis. t

Tertio, confunduntur voluntas non renata, & re-  
nata: Cum dicitur homines sunt capaces vocationis  
diuinæ, & per S. S. non solum assentiuntur, sed etiam  
custodiunt thesaurum. Controuersia n. est, quid volun-  
tas possit sine S. S. & nondum renata. Ea ex sese nequã  
Capax est, neque assentitur. Quod autem per S. S. as-  
sentitur, & custodit thesaurum, aliunde accipit volun-

tas iam renascens, sicut dicitur, Spiritus opitulatur in-  
firmitati nostræ.

Quarto. Collatio trunci & hominis odiose repeti-  
tur, ad eludendas scripturæ phrasas, quæ durius loqui-  
tur, Et homini cor saxcum, frontem Aeneam, inimici-  
tiam aduersus Deum, & repugnantiam contra legem  
Dei tribuit ad amplificandam passionem in conuersio-  
ne, & excludendam omnem vim, & modum agendi in  
arbitrio humano. Ergo latent in formula declaratio-  
nis insidiæ, & iure postulatur declaratio declarationis,  
in ambiguitatibus commemoratis.

Cæterum cum fidelis Theologi sit fundamenta  
Christianæ religionis, ex verbo Dei, prophetis &  
Apostolicis scriptis ponere, & astruere sanam doctri-  
nam verbis & testimonijs dilucidis scripturæ, nec id  
Victorinus in sua declaratione faciat, sed confugiat ad  
distinctiones philosophicas, & patrum quædam non  
sana dicta, non potest pro fideli Theologo haberi. De-  
sideratur etiam in illo sinceritas & candor, quia Anti-  
thesin non clare ponit, nec aperte doctrinam Lutheri,  
aut aliorum recte sentientium approbat. Sed phrasibus  
incommodis de Synergia, ac tertiæ causæ voluntati  
in conuersione concurrenti patrocinaat, quas excusat,  
& acerbe eos, qui illas reijciunt, vel taxat, exagitat, &  
petit. Ac perinde ut Maior suam impiam loquendi for-  
mam, non damnat, sed excusat. Ita Victorinus prædi-  
ctas Synergistarum formulas palliat, & probat, ut  
quod alit monstrum, hac ratione tanto tutius legere  
possit.

Quicumque ergo alios ad subscriptionem huius de-  
clarationis adigunt, in hoc peccant. Primo quod non  
solum sententiam ambiguam, quæ in deterius seculi  
potest, sed etiã plane falsam volunt approbari. Quod

fit

fit contra mandatum Apostoli, qui vult formam sanorum verborum retineri, & quæ certa, & firma sunt approbari.

Secundo iuuant occultatorem Victorinum, vt in fraude sua delitescat, & post occasione data prorumpat, & vel maius quam antea incendium excitet, vel saltem virus, & venenum suum pestiferum occulte spargat, & incautis iuuentutis & auditorum suorum animis instillet.

Tertio probant, & consentiunt in suggillationes veræ doctrinæ à Luthero & alijs pijs propositæ, quæ hætenus non obscuræ à Victorino passim sunt prolatae, & nunc ab ipso retractatae.

Quarto, premunt ingenuam veritatis, & Christi beneficiorum confessionem, qui vult sermones nostros perspicuos, & non ad decipiendum compositos esse.

Quinto scandalum confirmant, quo multi hætenus grauius irretiti sunt & offensi, non aliter intelligentes, quam Victorinum veram scripturæ, & Lutheri sententiam oppugnasse, & sine perspicua reuocatione, & erroris confessione non posse, pro membro veræ Ecclesiæ agnosci. In quibus omnibus conciliatores illi, seu subscriptores formulæ, qui passi sunt illum veritatem in eiusmodi ambiguitates immergere, grauius rei sunt. Hæc autem quæ tristitia & horrenda sint, quis non intelligit?

Qui vero ad eiusmodi subscriptionem sese adigi patiuntur simpliciter, vt nec ambiguitatibus formulæ contradicant, nec falsa liquido reiiciant & improbent: iisdem peccatis implicantur. Et hic considerent, ne aliquando peccatum hoc in conscientia, cum grauissimo & periculosissimo ipsorum malo euigilet. Vultus enim conscientia, præsertim ab incautis, & rectè

monentes audire nolentibus, facilius admittitur, quam admissum sanatur.


Ff 3988 <sup>b</sup>

x22 10857

... der ...







B.I.G.

Farbkarte #13

3

SENTENTIA  
NISTROVVM  
RBI IN COMITATV  
MANSFELDIENSI,

FORMVLA DE  
ARATIONIS VICTO.  
RINI STRIGELII,

VESTIONE DE LIBERO  
HOMINIS ARBITRIO.

Anno 1562. Die 20.  
Mensis Augusti.

*Handwritten in blue ink:* 2/4143!

